

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ad Orationem Inauguralem in Illustri Gymnasio

**Bürcklin, Philipp Jakob
Schmidt, Marcus Friedrich**

[Karlsruhe], [1726]

[urn:nbn:de:bsz:31-4758](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-4758)

Ad Orationem Inauguralem,
in Illustri Gymnasio,

98

quod
SERENISSIMUS AC CELSISSIMUS
PRINCEPS AC DOMINUS,
DOMINUS

AROLUS,
MARCHIO BADENSIS
ET HOCHBERGENSIS

ETC. ETC. ETC.
in Carolsruh,
Sede Sua Principali
Excitavit, Tuetur, ac Fovet,

à
PLURIMUM REVERENDO CLARISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO
MARCO FRIDERICO
SCHMIDIO,

Eccl. Aul. & Cathedr. Symmysta dignissimo,
Professore Theologiæ nuper declarato,

die 21. [qui est dies Jovis] Mensis Nov.
loco consueto habendam,

Mæcenates, Patronos, Fautores, Amicos,
pro cuiusque dignitate decenter invitatur,

atque hac occasione

de
Optima Via ad Eruditionem Solidam
perveniendi nonnihil præfatur,

PHILIPPUS JACOBUS BURCKLINUS,
Consil. Eccl. Rector & Prof. Publ.

ANNO MDCCXXVI.



Typis Maschenbauerianis.

(1726)

*Procurator Archiepiscopalis
Bischoff*



Cui in hoc rerum ordine, quem DEUS sapientissime instituit, neque minus potenter moderatur atque gubernat, munus obtigit ejusmodi, cujus virtute ac lege ad perpetuam veræ, solidæque eruditionis, juvenum animis instillandæ, curam obligatur, & quodam quasi vinculo adstringitur; is, quando officii sui rationes subducit quotidie, mediasque hæc inter sollicitudines animo secum identidem reputat; tot jam decades seculorum effluxisse, in quorum singulis multi multarum gentium viri exstiterint, qui Veritati inquirendæ operam darent, quidque vel intellectus approbare, voluntasve sequi debeat, indagare satagerent; tamen, ac si omnes omnium labores inde usque inanes fuissent ac frustra, hac nostra ætate demum quæri, neque absque ingenti animorum contentione inter eruditos disputari; quænam Eruditio Vera ac Solida sit appellanda? quæve, ut Superficiaria removenda? aut tanquam Erronea ac Falsa repudianda? quo illi ipsi luculenter demonstrarent; se ne nunc quidem adhuc omnes scire, quænam Via ad Veritatem optima sit tutissimaque, quamque Suis monstrare debeant præ cæteris, atque commendare maxime? Quando quis, inquam, hæc taliaque secum perpendit, animoque volvit atque revolvit; non is quidem, nisi levis nimium, abjectique animi notas relinquere velit, Veritati ipsi, solidæque eruditioni magnum inde periculum metuet; at continere se tamen interim vix poterit, quin eorum, qui in literarum studiis versantur, conditionem commiseratione omnino dignam judicet ac deplorandam. Quid enim? Habebunt opifices artiumque vulgariæ magistri suas, quas tuto sequantur formas ac normas; hi soli non habebunt, qui se ad erectiorem præ illis indolem à Summo Numine effictos esse, & id quidem haut injuria, gloriantur? Isti antecessorum suorum inventis laboribusque læti fruuntur, vestigia eorum non minori cum scenore quam laude prement, eadem ipsa Suis quoque alumnis sine errandi formidine persequenda suadebunt: hi, quo præceptorum suorum vestigiis pressius institerint, eo longius à scopo, quo collimabant, recessisse tandem se sentient miseri, longo per multa volumina tractu, nunc huc, nunc illuc, & utroque sine ordine currentes! Lustremus innumeras gentilium philosophorum turmas; percurramus recentiorum eruditorum agmina; quotus quæso illorum quisque est, qui se Veritatem præ cæteris reperisse jactare possit; aut, si jactitet, & non ex mera quidem jactantia, sed suo quodam jure ea de re gloriatur; assensum detectæ assertæque à se Veritati præbendum, si non ab omnibus, quod postulari posset, à plerisque tamen, non dicam facile impetrare, sed extorquere etiam valeat? Neges, quoad velis, veritatis istud interesse quidquam; neque enim illam vel plus multitudine adstipulantium, vel minus paucitate juvari, cum utriusque partis æque parum curæ patrociniū. Est ita. An verò labantium multorum animi inde magnopere confirmabuntur, si veritati quidem suam integram constare rationem intelligent; eorum autem, qui eandem anxie consectantur, centesimum vix quemque reperiri, cui de ejus possessione gratuleris, aut, à quo Viam, qua ad Veritatem absque meru eatur, tibi monstrati optes? Quod si, vel dicis gratia, hujus rei periculum facias, deque genuina veræ eruditionis ratione

roges;

foges; tantam oppido sententiarum, quantam vix capitum, varietatem deprehendes. Hic te cum *Socrate*, *Academicisque* per mille quaestionum anfractus trahet retrahetque, donec dubius, quam antea fueras, longe efficiaris magis. Ille cum *Arcefila* tuam te mentem prius aperire jubebit; ut habeat, non, quo meliora doceat, sed ut, si quid de Veritate jam ipse aliunde forte accepisses, id omne, aut omnino ex animo auferat, aut suspectius tamen reddat. Ille cum *Leontino Gorgia*, quaestionem etiam in conventu poscet, id est, jubebit dicere, de qua re cunque audire velles. Dein, cum bullatas nugas largiter sparserit, animum te sibi magnopere debere pronunciabit, utut ne teruncio ditior, neve minima ex parte doctior ab eo discesseris. *Cartesius* prima quæque veritatis, ab omnibus agnita & comprobata, principia negare ad tempus docebit, ut sic, iudicio eo certiore scilicet! novarum doctrinarum fundamenta ipse jacias. *Petrus Nicolius* cum assedulis, qui diem sibi dedisse usum bene suadendi arbitrantur, hortabuntur, ingrediariis viam Auctoritatis, quippe, ad veræ eruditionis fastigium enitentibus, facillimam, nempe quia sit tritissima, & vel inde etiam reliquis tutiorem. Contra, viam Examinis multo certiolem, longiusque ab errandi periculo remotam asserent *Claudius*, & cum eo *Petrus Jurievus*, qua nulli rei licebit tibi assensum prius præbere, quam propria rationis ac iudicii trutina eandem ipse accurate exquisiveris. Surget tandem *Petrus Poiretus*, qui, tanquam si frondium luxuriam cum arboris radice excindere vellet, quamcunque eruditionem intellectu activo, id est, proprio tuo studio ac labore acquisiveris, omnem illam appellabit rationalem, idealem & superficialiam, à quali ut tibi caveas, ut vires virtutesque tuas omnes quiescere, ut animum omnibus facultatibus, tam internis, quam externis valedicere jubeas, Eruditorisque Interni voci te ex toto præbeas, auctor erit.

Inter tot opinionum diverticula destitutis, tot flexibus viarum impeditis spes omnis, veritatem unquam possidendi abjicienda nobis est; nisi filum aliquod Ariadnæum monstratur, quod applicemus, cujusque indicio ac ope ex tali labyrintho evadamus. Neque adeo spissis illud amplius latebit sub umbris, modo *πρωτων ψευδων* prius detexerimus, quo potior eorum, quos modo recensuimus, pars seducti tot se ipsos ambagibus, ceu totidem laqueis, implicarunt. Rem autem paulo sollicitius consideranti nullo negotio patebit; Causam atque originem erroris, quo mortalium plurimi genuina ac regia via, ad veram eruditionem ducente, exciderint olim, vel hodiernum excidant, hanc præcipuam existere: quod in veritatis inquisitione justum ordinem non observent, neque à facilioribus ad difficiliora, sed ab his ad illa progrediendum sibi esse stolidè præsumant: quod necessaria à supervacaneis, utilia à noxiis separandi arte fusque deque habita, difficilibus nugis, doctisque ineptiis nimium delectentur: quod eorum etiam quæ utilia ac necessaria sunt, certitudinem, ipsamque adeo Veritatem in tam profundo puteo latere sibi imaginentur, ut illi, inde eruendæ, opus esse putent multis verborum præstigiis, quibus, ceu carminibus magicis umbræ infernales, illa excitetur. Hinc fit, ut, quemadmodum Apostolus de Gentilibus queritur, quod veritatem in iniquitate detineant; sic hi eandem tot inanum verborum, quæ nec ipsi intelligant, neque ab aliis ut intelligantur efficere possint, involucris obscurent, dilacerent, corrumpant, tandemque penitus amittant; ut potius fuisse iudicares, veritatem nunquam agnovisse, quam semel agnitam tam impio errore denuo suffocasse. Quæ atque alia, quæ referri huc forte possent, si cum *amplissimo Facultatis Philosophiæ, in alma Eberhardina, Decano, in Programate nuperrime vulgato*, aut si mavis, cum Seneca, Studiorum Intemperantiam appellaveris, rem ipsam solido admodum nomine expresseris. Si cui igitur nostrum genuina ac vera eruditio cordi est, qui auditoribus nostris ac discipulis, pro Herculis virtutibus non asini mortes canere, pro re non fumos vendere, pro cupediis non Cyparitti fructus apponere cupimus; removeamus noxia illa venenataque genuinæ eruditionis impedimenta: præscribamus ordinem, quo supervacaneis necessaria antepondere, præ inanibus utilia prævertere discant: timorem Domini initium sapientiæ esse, proprio exemplo demonstramus: doceamus turpe esse, difficiles habere nugas: ut vitæ, non scholæ tantum discant, moneamus: & si quæ didicerint, quæ frugifera sint, doceamus illa exprimere verbis, quæ, quid valeant, & ipsi intelligant, ab aliisque, quorum id interest, ut eadem intelligantur, præstare possint. Est enim
Eruditio

Eruditio, ad quam adspiramus, vel rerum divinarum salutaris intelligentia, quam vulgo theologiam appellare consuevimus; vel humanarum, rationis nostræ limitibus circumscripta cognitio. Illam non aliunde nisi ex Sacris haurimus literis; hanc Philosophiam dicimus, eamque vel proprio expendimus iudicio, vel comparamus cum priscorum, sive gentilium, sive Christianorum dogmatibus. At quis est, qui non videat, ad hujus æque atque illius, tum acquisitionem, tum dijudicationem accurata linguarum, ut vernaculæ, ita & exoticarum nobis opus esse notitia; cum absque harum ministerio neque Spiritum Sanctum, in verbo suo nobis loquentem, sine interprete audire, neque veterum profanorum doctorum rationes examinare possimus; illam vero, qui minus exquisitè calleant, animi sui sensa aliis communicare, solidamve doctrinam proponere nequicquam nitantur. Dum itaque nos DEus aliquis doceat meliora; dicamus: *Linguarum notitiam esse ad eruditionem viam certissimam; Medium autem, esse Timorem Domini, Temperantiamque studiorum.* Hæc & ipsi sequamur, & aliis eadem persequenda præcipiamus; animoque confidamus firmo, hac ratione & nos, & quos nostræ fidei DEus commisit, ab omni errore, qui quidem exitialis esset, immunes præstitum iri ac tutos. Viam hanc, non quidem citra pulveris jactum, nec sine ærumnis [sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas nominaverunt] at felicissimo tamen cum successu calcarunt Lutherus, Reuchlinus, Melancthon, Erasmus, alii. Eandem etiam dignissimis laudibus celebrabit, *Vir Admodum Reverendus Clarissimus atque Doctissimus Dominus Marcus Fridericus Schmidius, Eccl. Aul. & Cathedr. Symbista meritissimus*, Collega, atque noster ex animo amicus, in Oratione sua Inaugurali, in qua docebit; *quod linguarum Sanctarum Restauratio fuerit Reformationis in Ecclesia Promotio.* Idque ut faceret, sui esse officii arbitratus est, postquam à Serenissimo Principe ac Domino nostro Clementissimo in numerum Professorum Illustris Gymnasii clementissime, at suo tamen merito, constitutus, atque *ad docendam Theologiam* vocatus esset. Dicit autem in Auditorio nostro d. 21. Novembris, qui est dies Jovis, Hora 11. pomerid.

Quem, quippe dicendi facultate præstantissimum, ut Mæcenates, Patroni, Fautores, Amici benevole audire velint, ea, qua pat est observantia atque humanitate rogamus.

